MASTER NEGATIVE NO. 92-80479-20

AUTHOR:

THIELEMANN, CARL HEINRICH

TITLE:

ADNOTATIONES IN ALIQUOT...

PLACE:

MERSEBURGI

DATE:

[1849]

Master Negative #

92-80479-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Thielemann, Carl Heinrich,
...Adnotationes in aliquot Sophoclis locos scripsit Carolus Henricus Thielemann... Merseburgi, literis haeredum Herlingii, [1849]
14 p. 21 cm.

At head of title: Examinis...1849 vernalis in Gymnasio Merseburgensi solennia celebranda observantissimo indicit Carolus Ferdinandus Wieck...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/12/92
INITIALS T.M.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

EXAMINIS

ANNI MDCCCXLIX

VERNALIS IN GYMNASIO MERSEBURGENSI SOLENNIA CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INDICIT

CAROLUS FERDINANDUS WIECK

RECTOR ET PROFESSOR.

PRAEMISSAE SUNT

ADNOTATIONES IN ALIQUOT SOPHOCLIS LOCOS

SCRIPSIT

CAROLUS HENRICUS THIELEMANN

COLLEGA IV. SUPERIORUM ORDINUM PRAECEPTOR.

MERSEBURGI

LITERIS HAEREDUM HERLINGII.

1849

Trachin. v. 24 — 25.

Ἐγὼ γὰρ ἥμην ἐκπεπληγμένη φόβῳ,
μή μοι τὸ κάλλος ἄλγος ἐξεύροι ποτέ.

Nullusdum interpretum, ut opinor, haec verba satis perspexit, quod judicium mirum sine dubio non nemini videbitur, quum et sensus simplicissimus sit nec quicquam ulla ex parte habeat hic locus offensionis. Commemoravi eum jam in commentatione de Trachiniis abhinc annos sex germanice a me conscripta [1]) neque tamen potui, quum aliud tum mihi esset propositum, nisi extremis digitis attingere; itaque nunc scribendi occasione oblata accuratius in eum inquirere et sententiam supra a me propositam paucis comprobare volo.

Observatum est a nescio quo (nisi fallor a Gruppio in libro „Ariadne“ inscripto) nonnullos apud Sophoclem inveniri locos, in quibus duplex quidam insit sensus, novumque esse artis Sophocleae inventum, personas nonnunquam ita loquentes facere, ut quum de praesenti tantum rerum statu loquantur, insciae simul futurum indicent malaque sibi imminentia quasi augurentur. Jis locis hunc quoque adnumerandum censeo, eaque de causa propriam quandam venustatem in eo cernere mihi videor et plane dissentio ab Axtio V. D. in commentatione critica de Trachiniarum prologo [2]) hunc versum in iis recensente,

---

1) Osterprogramm 1843, p. 22, Anm. 4.

2) Michaelprogramm v. Cleve 1830, p. 1. Omnino non intelligo quid fuerit caussae, cur Axtius in vocula **ποτέ** offenderit, neque enim tam angustis usus ejus est circumscriptus terminis, quam Virum doctissimum existimasse ex verbis ejus „nam certaminis momentum jamjam imminet“ colligas. „Significat enim haec vocula non solum tempus et praeteritum et futurum, sed etiam dialectica est, sive **στοχαστική** potius, verisimilem quandam suspicionem apud nos ortam prae se ferens, aliquando cum aliorum percontatione conjunctam. Nos etwa, denn, wohl, vielleicht, doch, am Ende, Latini forte, fortasse, etiam maxime, potissimum, profecto dicunt.“ Ellend. Lex. Soph. Tom. II. pag. 615.

qui totum ei prologum reddiderint suspectum. Res autem habet ita: Dejanira, miseram suam atque infelicem vitam animo perlustrans, reminiscitur illius temporis, quo ab Acheloo, triformi illo monstro, in matrimonium petita et interventu Herculis vix ab odiosissimo conjugio liberata erat; rationem pugnae inter duos procos ortae sese describere non posse, quum mentis non fuerit compos, sed formidinis plena,

ne quando venustas sibi damnosa fiat.

Manifestum est, Dejaniram ipsam de praesenti tantum rerum statu loqui et his verbis nihil aliud significare et posse et velle, quam invisum illud conjugium, quod Hercule victo cum Acheloo virginis venustate allectato jungi necesse erat; poeta vero plus habet in recessu quam fronte promittit et aliam etiam sub verbis illis subjungit sententiam. Infelix mulier, per totam vitam aerumnis afflictata, nondum omnia mala exhausit, summi jam cervicibus ejus impendent terrores, ipsa cum Hercule in perniciem agitur; et si verum quaerimus, caussa omnium horum malorum et terrorum est ea ipsa venustas, quam perniciosam sibi aliquando fore timet Dejanira, utique non ipsius, sed Jolae, quam Hercules amore flagrans uxorem ducere in animo habet. Ac sic Dejanira inopinans insciaque sortem futuram indicat, aperiuntque illa verba,

ne quando venustas mihi damnosa fiat,

spectatoribus mala venientia, quibus domum Herculis everti erat fatum, neque quisquam inficias ibit, tales locos ad animos spectatorum commovendos et timore ac misericordia implendos maxime esse accommodatos.

Contradicat fortasse aliquis, hoc nihil esse, quum spectatores tales argutias intelligere non potuerint, et profecto si de hominibus nostri aevi ageretur, quo a poetis dramaticis plerumque ficta, aut etiamsi ex historia deprompta, maximae tamen spectatorum parti incognita argumenta tractantur, talis interpretatio multum haberet offensionis. In veteres vero non cadit haec dubitatio; quorum poetae tragici quum semper ex eodem fonte haurirent, mythologiam dico, cujus accuratissimam habebant veteres notitiam, et argumenta in vulgus nota tractarent, factum est, ut spectatores grata novitate illecebrisque argumenti non caperentur ac delinirentur, id quod nobis evenire solet, sed ad singulas quasque res semper attendentes acres recti pulcrique existimatores existerent et in intimum quasi animi recessum poetae penetrare possent.

v. 29 – 30.

νὺξ γὰρ εἰςάγει,
καὶ νὺξ ἀπωθεῖ διαδεδεγμένη πόνον.

Nulla sane mea quidem sententia erat caussa, cur Viri docti in his verbis tantopere haesitarent, quum sensus simplicissimus sit nec ulla impeditus difficultate. Hermannus V.

C. nihil fere ad hunc locum adnotavit, ita ut in incerto relinquatur, quo modo eum intellexerit; Axtius in commentatione critica supra commemorata pag. 2 extr. graviorem fert sententiam, prologi scriptorem nonnunquam verba prius effutivisse, quam, quae vellet dicere, accurate cogitaverit, ita ut enunciatio etiam per se falsa efficeretur. Nam aegre dispici posse, quomodo nox aerumnas non solum adducat, sed etiam depellat; et profecto, si Dejanira ea dixisset, quae dicere eam facit Axtius et Thudichumus in versione ita expressit:

So bringt eine Nacht,
Und eine Nacht, ihr folgend, nimmt hinweg den Schmerz.

illa reprehensione dignissimus foret poeta. Sed haec hactenus, infra apparebit, num recte de hoc loco judicarit Vir doctissimus. Wunderus V. D. uberius de eo disseruit et scholiasten [1]) secutus interpretatus est ita: Nox enim, quae adducit, eadem dimittit, postquam laborem excepit, i. e. qua enim nocte venit, labore perfunctus, eadem rursus abit, novum laborem suscepturus, ad v. *εἰςάγει* et *ἀπωθεῖ* supplendum esse *αὐτόν* i. e. *Ἡρακλέα*, et non de duabus consequentibus noctibus, sed de una eademque sermonem esse arbitratus. Quae ne quis pugnare cum sequentibus opinetur,

κἀφύσαμεν δὴ παῖδας, οὓς κεῖνός ποτε,
γήτης ὅπως —
σπείρων μόνον προςεῖδε κἀξαμῶν ἅπαξ.

diligenter animadvertendum monet, his verbis non ostendere Dejaniram, quoties ad se venerit, sed hoc dicere, si quando venerit, eadem qua venerit nocte rursus discessisse. Ut ingenue fatear, haec explicatio mihi minime probatur, quum aliis de caussis, tum quod nimis est contorta ac quaesita, et quod aequales poetae talem verborum conjunctionem, *εἰςάγει καὶ ἀπωθεῖ διαδεδεγμένη πόνον*, quae usitatissima est apud Graecos, nisi usitato more non accepissent, ut *πόνον* et ad verba illa et ad participium *διαδεδεγμένη* referrent. Atque ita est. Si quis totum locum a versu 26—35 libero judicio ac non praejudicata opinione perlegerit, eum statim intellecturum puto, hic nondum de Hercule sermonem esse posse, sed Dejaniram de se ipsa suique animi affectione loqui, nec aliud quicquam exprimere velle, quam, ex quo nupserit Herculi, perpetuis se de eo curis angi ac sollicitari. Atque hoc quidem per se patet, siquidem huic enunciationi notio perpetuitatis subjecta est, non ut Wunderus autumat, de una eademque nocte sermonem

1) Schol. verba sunt: *ἀντὶ τοῦ, νυκτὸς ἔρχεται καὶ νυκτὸς ἐξορμᾶται, ὡς μὴ διαδοχήν μοι τῶν πόνων γενέσθαι.* Cf. schol. ad Ajacem v. 866. *πόνος πόνῳ πόνον φέρει. — ὁ δὲ νοῦς· ὁ πόνος ἐπὶ πόνῳ πόνον φέρει· ὡς Ὅμηρος*, Il. *π'* 111, *καὶ ἐν Τραχινίαις· Νὺξ γάρ* etc.

esse posse, sed de duabus vel potius pluribus consequentibus, et quaeritur jam, qui illa verba hunc sensum habere possint. Ut rem breviter complectar, significat v. *νύξ* geminatum non solum nocturnum tempus duarum noctium, sed etiam diurnum, quod inter unam et alteram noctem interjectum est, ita ut sensus sit: sollicitudo, quam una nox adducit, usque ad alteram tenet, et haec demum eam depellit, i. e. noctem ac diem durat, nullum nec noctis nec diei tempus ad angores metusque intermittitur, (simili modo Cic. Offic. III., 21, §. 84. metus diurni nocturnique), item est, quod in pedestri oratione: *νυκτὸς καὶ ἡμέρας φοβοῦμαι.* At, ut haec explicatio vera sit, nobis occurrat aliquis, restat aliquantum dubitationis, non elevatur hoc modo summa offensio, quae verbis *νύξ ἀπωθεῖ πόνον* inest, quum non dispiciatur, quomodo nox aerumnas depellere dici possit. Sed haec dubitatio statim evanescet, modo ad sequentia verba *διαδεδεγμένη πόνον* diligenter attendamus, quae nisi addita essent, nimirum et ipse poetam fatuitatis reum facerem. Arctissime conjungenda sunt cum praecedente *ἀπωθεῖ* et sensus eorum est: nox depellit sollicitudinem, sed depellit ita, ut simul eam excipiat, i. e. renovet et redintegret. Sensus igitur hujus loci est: Aerumna ab una nocte tenet usque ad alteram; tum vero non desinit, sed haec altera nox eam renovat et redintegrat, consequenti nocti iterum quasi traditura. Tum demum Dejanira ad caussam perpetui sui timoris transit, quod Wunderi caussa moneo.

Haec est sententia, quam poeta exprimere voluit et, ut mihi quidem videtur, clare ac perspicue expressit, ita ut recte judicasse mihi videar, quum supra dicerem, sensum hujus loci esse simplicissimum nec ulla impeditum difficultate. Multum ad stabiliendam et confirmandam hanc explicationem adjuvat fragmentum [1]) Niob. VI, 3. (400 D.) *πόνῳ πόνον ἐκ νυκτὸς ἀλλάσσουσα τὸν καθ' ἡμέραν*, quibus verbis eadem fere sententia expressa est.

v. 54 — 57.

Πῶς παισὶ μὲν τοσοῖςδε πληθύεις, ἀτὰρ
ἀνδρὸς κατὰ ζήτησιν οὐ πέμπεις τινά,
μάλιστα δ' ὅνπερ εἰκὸς Ὕλλον, εἰ πατρὸς
νέμοι τιν' ὤραν, τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν;

Recte Hermannus dicit, frustra hunc locum conjecturis esse tentatum; sanus est si quis alius, neque tam emendatione indiget quam interpretatione, sed quod addit, recte eum

1.) Debeo hoc exemplum Ellendt. Lex. Soph. s. v. *ἀλλάσσω*.

explicuisse Matthiaeum in gr. gr. §. 321. (ed. III. §. 343) id non possum assentiri Viro Doctissimo. Antequam legissem ejus annotationem, mihi et ipsi statim in mentem venit Demosthenici loci, quem comparat, Olynth. II, 19, 4, *τούτων οὐχὶ νῦν ὁρῶ τὸν καιρὸν τοῦ λέγειν* (edit. Rüdiger. I, 2, 2) et eandem utriusque loci rationem esse primo existimabam, sed re accuratius considerata ac perpensa facere non potui, quin mutarem sententiam longeque aliam in hoc explicando ingrederer viam.

Duplex omnino ratio est tales locos, qualis hic et Demosthenicus ille est, explicandi: altera, ut posterior genitivus priori quasi epexegetice additus eum explicare et accuratius definire judicetur (Heinrichius in epimetro commentat. ab A. Twesteno de Hesiodi operibus et diebus scriptae p. 73, Matth. gr. gr. §. 343, Wunderus ad h. l. al. quos citat H. Sauppius ad Demosth. Olynth. II, §. 4. pag. 79) altera, ut unus genitivus cum verbo, ex quo aptus est, ita in unam coalescere notionem putetur, ut ex ea alter genitivus pendeat. (Hermannus ad h. l. al. qnos citat idem Sauppius.) Ac cum hac loquendi ratione similis usus gerundii latini comparari potest, de quo egerunt Stallbaum. ad Rudim. Instit. ling. lat. II, p. 246, Kritzius ad Sallust. Catilin. c. 31, 5. et Reisigius Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft. §. 439 cum adnot. Haasii. Ad hunc vero locum explicandum neutra ratio facit. Nam ut nihil dicam de offensione, quam habet v. *δοκεῖν*, „quum non ut videatur, sed ut sit salvus, curare debeat,“ quae non amovetur observatione Hermanni subtiliore quam veriore, defendi v. *καλῶς* posse, modo in pronunciando ut praecipuum notetur, ut idem sit, quod *μὴ καλῶς*, hiat oratio poetae, et fateor me ignorare, quo modo enunciatio *εἰ πατρὸς νέμοι τιν' ὤραν* cum praecedentibus cohaereat. Neque interest, utrum cum Hermanno interpreteris: quidni filiorum aliquem mittis, maximeque Hyllum, quem aequum erat mitti, si curam aliquam gereret patris, an ille salvus videatur; an cum Matthiaeo: Wenn er um seinen Vater besorgt ist, nemlich dass man von diesem glaube, es gehe ihm wohl, er sei glücklich in seinen Unternehmungen; utraque interpretatio eodem quo dixi laborat vitio, ut sententiae inter se non cohaereant. Quis, quaeso, orationem talem conformet: Warum schickst du nicht einen von deinen Söhnen, vorzüglich den Hyllus, dem es ziemt (sc. geschickt zu werden), wenn er Sorge um seinen Vater trüge etc. Sophocli certe tale quid non debemus imputare. Sed facillime huic vitio mederi possumus ita, ut post v. *Ὕλλον* pro commate signum interrogationis ponamus, quo verba *εἰ πατρὸς νέμοι τιν' ὤραν* a praecedentibus plane sejunguntur. Sensus igitur est: quidni filiorum aliquem mittis, ut patrem investiget, maximeque Hyllum, quem aequum erat mitti. Unusquisque opinor sentiet, his verbis sententiam servae, quatenus ad Dejaniram pertinet, plenam quasi ac perfectam esse nec aliud quicquam posse adjici: omnia, quae fieri vult, ostendit, admonuit Dejaniram, ut aliquem m i t t a t, docuit, c u i hoc negotium mandatum velit, demonstravit, q u o is mittatur c o n s i l i o. Iam cogitatione ad Hyllum

conversa pergit: utinam patris aliquam gerat curam, ut recte facere videatur. Iam puto ratione et via oratio procedit neque quicquam habet offensionis. Restat, ut de grammatica ratione pauca addam. Ac de primo quidem colo non est, quod multa verba faciam; saepe enim aut optativus solus, aut particulas *εἰ* vel *εἰ γάρ* additas habens „ponitur in iis rebus, quas vere optamus fieri, quia fieri eas posse credimus;“ ex. c. Il 24, 74, *ἀλλ' εἴ τις καλέσειε θεῶν Θέτιν ἆσσον ἐμεῖο.* Soph. O. R. *Εἴ μοι ξυνείη* sq. Herm. ad Viger. p. 756.

Verba *τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν* ego quoque ad praecedentia *εἰ πατρός* etc. refero, sed ut ex interpretatione mea apparet, longe alio modo, atque a Viris doctis factum est; indicant consilium et finem, qui infinitivi usus multis confirmatur exemplis. Ex Sophocle quidem ipso alius ejusmodi locus mihi non est notus, sed quum Thucydides, Plato, Xenophon, hunc infinitivum compluries eodem modo adhibuerint, non est, quod a Sophocle talem loquendi rationem abjudicemus. e. c. Thucyd. I, 4, extr. *τὸ λῃστικὸν καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης, — τοῦ τὰς προσόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ.* 23, 5, *διότι δ' ἔλυσαν, τὰς αἰτίας προέγραψα πρῶτον καὶ τὰς διαφοράς, τοῦ μή τινα ζητῆσαί ποτε.* II, 4, 2, *ἔφυγον, ἄπειροι μὲν ὄντες οἱ πλείους, ἐμπείρους δὲ ἔχοντες τοὺς διώκοντας, τοῦ μὴ ἐκφεύγειν.* v. Poppo. et Krueger. ad. h. l. Rost, gr. gr. 109, 4, 5. Matth. 540, 1. K. W. Krueger, gr. gr. 47, 22, adn. 2.

Haec quum jam conscripsissem, et alia de veritate explicationis Hermanni et Wunderi mihi subnata est dubitatio ex optativo *νέμοι*, quem, si locum ita interpretamur, ut ab illis viris doctis factum est, hic locum habere non posse mihi persuasum habeo. In verbis illis, si c u r a m a l i q u a m g e r e r e t p a t r i s, non intelligo, quae inesse possit vis alia, quam n o n g e s s i s s e c u r a m p a t r i s H y l l u m, indicatur igitur, aliquid non factum esse, et in tali enunciato Graeci *εἰ* cum indicativo praeteriti usurpant, non cum optativo, qui adhibetur, si adhuc ambiguum est, utrum quid futurum sit an non. Herm. ad. Vig. p. 811. Nec magis probari potest lectio Cod. Flor. et Harl. *νέμει*, a Matthiaeo recepta, quum indicativus praesentis in tali enunciatione usurpatus eodem, quo optativus, laboret vitio. Iam vero, quum interpretationem a V. D. propositam et ad logicam et ad grammaticam rationem falsam esse appareat, neque tamen hic locus, ut supra jam dictum est, tentandus sit conjecturis, nihil est reliquum, quam ut alia via ad sensum poetae penetrare conemur. Quam quum jam monstraverimus, nihil est, quod addam, quam optatum, ut quo intendimus ducat.

Electra, v. 17 — 20.

ὡς. ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ,
μέλαινά τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη.

Ambigitur inter Viros doctos, quomodo verba *ἄστρων εὐφρόνη* accipienda sint. Ac mirum veterum scholiastarum commentum, antiptosin dico, quo ad ea explicanda usus est Brunckius, ita ut *ἄστρων εὐφρόνη* pro *ἄστρα εὐφρόνης* dici putaret, vix dignum est, quod hodie commemoretur, atque ab Hermanno ad Viger. p. 888 jam ita refutatum est, ut ne verbum quidem addere opus sit; nec magis probari potest sententia Musgravii et Monkii, *ἄστρα* hic ut alibi pro ipso coelo dici putantium, quod ibi tantum fieri, ubi altitudo coeli spectetur, recte dicit idem Vir eximius. Nec sane erat, quod ad talia confugerent interpretes nodumque in scirpo quaererent, quum poeta, quae vellet dicere, tam clare expresserit, magis ut non potuerit.

Ἄστρων εὐφρόνη arcte est conjungendum, ut sit instar substantivi compositi, quod nos dicimus, die Sternennacht, (conf. Cic. de divinat. I, 11, §. 18. nox stellans) quam Wunderi quoque sententiam esse ex ejus nota ad hunc locum intellexi. Omnino tenendum est, omnes omnium gentium homines, inprimis poetas, saepenumero ita loqui, ut eandem sententiam bis diverso modo exprimant, semel affirmative, deinde negative, sive rem ipsam, qualis vere est, significando, deinde contrarium ejus addendo. Id hic quoque factum est; paedagogus nihil aliud vult dicere, quam protinus deliberandum esse, quum jam illucescat, et hoc posterius dupliciter exprimit: das helle Tageslicht erscheint und die schwarze Sternennacht verschwand.

v. 21.

Ὡς ἐνταῦθ' ἐσμέν,
ἵν' οὐκ ἔτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

Hic locus, quamvis ad sensum facilis, magnopere vexavit interpretes, nec quisquam hodie est, quin corruptum eum esse atque emendatione egere concedat, sed quomodo sanandus sit, valde adhuc inter viros doctos ambigitur. Lectiones, quas libri manuscripti praebent, falsas esse, unam *ἐσμέν*, violatum metrum arguit; quis enim sibi persuadeat, *ἐσμέν*, quae est sententia Toupii ad Suid. Tom. I, p. 226, prima correpta pronunciari posse; alteram *ἐμέν*, inaudita atque insolita forma, nam nemo Callimachi auctoritate ad eam fulciendam utetur, demonstrat. Ac Porsonum quidem aliosque, quos Hermannus jam

merito refutavit, nihil moror; res mihi sit cum Dawesio, in Miscellan. crit. p. 282. (499 ed. Kidd.) satis probabiliter ἴμεν conjiciente et per βαίνομεν, ἐρχόμεθα, ἐσμέν interpretante, qua in re multos viros doctos habet assentientes, in iis Ellendtium, V. D.

Sensus horum verborum est, ut Ellendtii verbis utar, Lex. Sophocl. I, p. 510 extr. eo processimus, in eum nos quasi locum contulimus, ubi nobis jam non cunctandum, sed agendum est. At haec ipsa interpretatio prohibere debuit V. D. quominus illi conjecturae accederet. Nam qui tandem praesens ἴμεν significare potest processimus, nos contulimus? Ut falsa sit eorum sententia, qui εἶμι et ejus composita ubique futuri significationem habere existiment, perfecti saltem significationem, quam ei obtrudit Ellendtius, nunquam habet. Opus est nobis hic verbi forma, qua status rerum exprimitur, non actio durans, et hoc triplici modo fieri potuit, aut perfecto alicujus verbi, quod actionem indicat, ut βαίνειν [1]), sim. quo aliqua rerum conditio sive status significatur, ita ut idem sit quod esse, aut praesente alicujus verbi, quod statum indicat, ut ἐσμέν, γιγνόμεθα, πέλομεν sim. aut denique aliquo verbo, cujus praesens perfecti significationem habet, ut ἥκω.

Inde consequitur, ἴμεν hic locum habere non posse, quum nihil nisi actionem durantem indicet. Hermannus conjecit ὡς ἐνταῦθα δή, vel, ὡς ἐνταῦθ', ἵνα οὐκ ἔστ' ἔτ' ὀκνεῖν καιρός etc. (hoc Wunderus recepit) neque tamen, ut in re incerta, ausus est quidquam mutare. Hae conjecturae, quamvis bonum praebeant sensum, non multum tamen mihi videntur habere verisimilitudinis, quum longius a vulgata scriptura recedant, quam ut quemquam ὡς ἐνταῦθα δή, vel ὡς ἐνταῦθ' ἵνα etc. in vitiosum illud ἐσμέν aut in insolitum ἐμέν mutaturum fuisse credibile sit. Quod si repetimus, quae nobis de hoc loco disputata sunt, jam manifestum est, neque ἐσμέν aut ἐμέν a poeta profectum esse, neque conjecturas a viris doctis prolatas probari posse. Quid ergo? desperandusne hic est locus? Minime; reperisse mihi videor viam, quam ad veritatem ducturam nos spero; legendum est:

ὡς ἔνθ' ἕσταμεν,
ἵν' οὐκ ἔτ' ὀκνεῖν etc.

Hoc modo opinor caligo, quae huic loco erat offusa, dispellitur, et primum facile intelligitur, unde fluxerit illa perversa scriptura ἐσμέν; quae quum semel irrepsisset in libros manuscriptos, librarii ad vacillans metrum fulciendum ἔνθ' mutarunt in ἐνταῦθ'.

Tum vero significant haec verba, quae exprimere poetam et voluisse et debuisse supra diximus: eo processimus, ut Ellendtius vertit, i. e. res est eo loci, ubi non jam cunctandum sed agendum est. Ac de ἑστάναι hac significatione usurpato, ut tralate de statu et conditione rerum ponatur, non est, quod multa verba faciam, quum res sit notissima; conf. Ellendt. Lex. Soph. s. v. ἵστημι, tom. I, pag. 850. sed de v. ἔνθα nonnulla addere opus est, quum facile a quopiam in controversiam vocari possit. Ellendtius enim in Lex. Soph. tom. I, p. 605 sub hac voce docet, apud Sophoclem nunquam ἔνθα nec proprie nec tralate ibi significare, sed ubi; et profecto, si exempla a V. D. collecta perlustramus, ne unus quidem locus invenitur, ubi sensu demonstrativo sit usurpatum. Sed hoc sine dubio casu factum est, ac non puto, ex eo, quod ἔνθα apud Sophoclem sic usurpatum nusquam alibi inveniatur, recte colligi, non potuisse omnino poetam nostrum hanc vocem sensu demonstrativo usurpare, eo minus, quod a scriptoribus classicis et prosae et poeticae orationis saepius sic adhibetur; e. c. Xenoph. Anab. I, 7, 15. Aesch. Suppl. 34. Jl. XIV. 137.

1) conf. Electr. 1082 (H.) ἐπεὶ σ' ἐφεύρηκα μοίρᾳ μὲν οὐκ ἐν ἐσθλᾷ βεβῶσαν. 1046. ὅταν γὰρ ἐν κακοῖς βεβήκῃς. O. C. 1361. ὅτ' ἐν πόνῳ ταὐτῷ βεβηκὼς τυγχάνεις κακῶν ἐμοί.

Quae argumentatio si cui non probetur, perseveranti in Ellendtii sententia, non rejicienda tamen est hanc ob caussam conjectura a me prolata, sed alia levi mutatione facta hic locus sic constituendus:

ὡς ἔνθ' ἕσταμεν,
οὐκ ἔστ' ἔτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

Sic retinet ἔνθα vim relativam, et modo relatio harum duarum enunciationum inversa est. Sensus est: nam in quo nunc sumus statu, ubi nunc res est loci, (in eo, ibi) non cunctandum, sed agendum est; relativa enunciatione more apud Graecos et Latinos usitato demonstrativae antecedente.

Ajax 510—12.

Σὺ γάρ μοι πατρίδ' ἤστωσας δορί,
καὶ μητέρ' ἄλλη μοῖρα τὸν φύσαντά τε
καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας.

Hic locus interpretum acumen valde exercuit atque ab aliis aliter est explicatus, sed ut ingenue fatear, nulla est explicationum, quae mihi ita satisfaciat, ut in ea acquiescere possim, quod ne arrogantis quis esse existimet, rogo et peto, eo magis, quod nihil habeo, quod in earum substituam locum melius. Ac nolo longus esse in refutanda lectione, quam omnes fere libri ac scholiastae tuentur:

σὺ γάρ μοι πατρίδ' ἤστωσας δορί,
καὶ μητέρ'· ἀλλ' ἡ μοῖρα τὸν φύσαντά με
καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας.

quae cur ferri non possit, a viris doctis jam satis est demonstratum. Ad Hermannum statim me convertam, qui praeeunte Cod. b. ἄλλη μοῖρα legit et versum, quo Tecmessa

aliquid de domo sua excisa seque in servitutem abducta adjecerit, excidisse putat, offendens in particula **καί**, cujus loco in hujusmodi enumerationibus potius *δέ* quam **καί** usurpari soleat. Quod ut concedamus Viro eximio, quamquam hunc loquendi usum non abhorrere a Graecorum et Latinorum sermone exempla a Ritschlio [1]), Viro doctissimo, collecta satis arguunt, non intelligitur, quid sibi velit *ἄλλη* **μοῖρα.** Sensus horum verborum est: Te exstincto non habeo, quo me vertam, nec patria mihi est, nec parentes; nam patriam tu mihi ipse evertisti et parentes mors abstulit. Qui igitur Tecmessa dicere potuit *ἄλλη* **μοῖρα?** Aut enim cognitum habet illud fatum, quod parentes ad Orcum misit, tum dicere non potuit *ἄλλη* **μοῖρα**, sed simpliciter **μοῖρα**, aut ignorat, quale fuerit, tum non magis ita loqui potuit, imo addere debuit voculam *πού*, ut secundum conjecturam aliquam loqui se indicet, quod hic absonum esse etiam me non dicente intelligitur. Apertum est igitur, nihil ad hunc locum expediendum adjuvare Hermanni sententiam, quum summam rei intactam reliquerit, et aliud nobis circumspiciendum esse velut auxilium. Quid? si Reisigii [2]) conjecturam perquam facilem et elegantem *ἄλλῃ* adoptamus? ita offensio, quam affert nobis *ἄλλη*, evitatur. Probavit eam Ritschlius et Tecmessam hoc dicere putat: tu mihi patriam evertisti, quo factum est, ut et matri, quippe bello captae, extra patriam terram moriendum esset (id quod tristissimum visum veteribus), et ipse pater exstingueretur meus. At hanc ingressi viam in alias puto incurrimus difficultates. Ita enim mater Tecmessae alio exitii genere exstincta putanda est atque pater, quod etsi per se admodum probabile est et multis veterum scriptorum comprobatur locis, viros in pugna occisos, mulieres in servitutem abductas esse, hic tamen ne talem informemus cogitationem, impediunt verba poetae, qui si ita locutus est:

καὶ μητέρ᾽ ἄλλῃ μοῖρα τὸν φύσαντά τε καθεῖλεν etc.

ἄλλῃ et ad patrem referatur necesse est, ita ut matrem et patrem eodem exitii genere exstinctos dixerit. Nec magis probare possum, quod addit vir doctissimus, valde accommodatum esse **ἄλλῃ** ad vim argumentationis Tecmessae augendam; ita enim nec foedam mulieris caedem manibus Ajacis attribui et caussam tamen mortis ad eundem referri, utpote expeditionis ducem; et fateor, me non intelligere, quomodo Ajax, ut abduxerit matrem Tecmessae in servitutem, idem et caussa mortis ejus dici possit. Praeterea etsi negari nequit, tristissimum visum veteribus extra patriam mori, ab hoc tamen loco aliena est ea sententia. Tecmessa, ferocem Ajacis animum commotura ipsumque a consilio fatali prohibitura, omnem spem ac salutem in Ajace positam docet, quum orbata sit et patria et parentibus,

1) Schedae criticae, pag. 22. Aristoph. Pax. 416. Nub. 1493. Plut. 1027. Vesp. 393. Aeschyl. Septem. ad Theb. 67. 406. 647. Tibull. I, 3, 70.

2) Schedae criticae, pag. 23.

illa ab ipso eversa, his morte exstinctis, et nihil omnino ad vim orationis augendam facere puto, utrum parentes extra patriam an domi sint mortui. Quid multa? ego vetus mendum in hoc loco inesse puto, quod quomodo mihi videatur corrigendum, vix audeo indicare, quum ipse probe sciam, quam incerta sit res ac lubrica. Eo inclinat sententia, pro *ἄλλη* a poeta scriptum fuisse *οὔλη*. Atque ita primum evitatur offensio, quam et *ἄλλη* et *ἄλλῃ* habere, ut opinor, probavimus, et manifestum est, illud epitheton admodum accommodatum esse ad v. **μοῖρα,** quae ab Homero quoque saepe **κραταιή, κακή, ὀλοή** nuncupatur.

De origine ac significatione huius vocabuli vid. Buttm. Lexilog. I, No. **47**, **4**, pag. **185** sq. Nitzsch, adnot. ad Homer. Odyss. I, v. **52—54**, pag. **17**. Passow, sub h. v. **2**. Non ignoro, id nusquam alibi apud Sophoclem inveniri, et reliqua ejusdem originis vocabula, ut **ὀλόεις,** Trach. **518**, **ὀλοός,** Electr. **833**, Trach. **843**, **οὐλόμενος**, Antig. **833**, **οὔλιος**, Aj. **913**, non nisi in canticis choricis inveniri, sed et **ὀλόεις**, **οὔλιος**, **οὐλόμενος** sunt **ἅπαξ λεγόμενα**, et ut **οὖλος** in diverbiis usurpatum offensionis quid habeat, haud scio an defendi possit eo, quod oratio Tecmessae, quae tota in tristitiam ac sensum miseriae suae effusa est, supra quotidianum sermonem se attollit erigitque ad lyricam vim et vigorem.

Aj. v. 854 — 56.

πᾷ, πᾷ,
πᾷ γὰρ οὐκ ἔβαν ἐγώ;
κοὐδεὶς ἐπίσταταί με συμμαθεῖν τόπος.

Multi apud veteres scriptores inveniuntur loci, qui ad sensum clari ac perspicui, iidem ad verba aliquantum habent tenebrarum obscuritatisque, ita ut eorum explicatio valde ambigua sit, et viri docti in iis explicandis alius aliam viam sint ingressi. Iis locis hic, de quo nunc acturi sumus, adnumerandus est. Sensus facillimus est; chorus ad Ajacem investigandum profectus, re infecta revertitur et sese, quamquam omnia perlustraverit, eum tamen nusquam invenire potuisse conqueritur. Quam clara haec sunt quamque nulli obnoxia difficultati! Iam vero si verba respicimus, existit dubitatio, et quaeritur, num verba a poeta usurpata hunc sensum habere possint. Affirmant alii, alii negant. Lobeckius, V. C. ad auctoritatem Homeri recurrens, qui *δέδαεν* saepius pro d o c u i t usurpaverit, e. c. Od. VIII, **448**, XX, **72** etc. hic quoque *συμμαθεῖν* pro *διδάξαι* dici putat. Non recte opinor. Neque enim perinde est, utrum *μανθάνειν* an *συμμανθάνειν* dicatur, et hoc posito atque concesso, verbum simplex hac vi usurpari, quae mihi res de classicis quidem scriptoribus non satis constat, in compositum non valere idem mihi persuasum habeo. „Elmsleius et Hermannus *ὥστε* subaudiunt, *ἐπίσταται ὥστε με συμμαθεῖν*,

quod ferri nequit, siquidem ἐπίσταται non potest dici pro ἐπιστάμενος ποιεῖ.“ Ellendt. Lex. Soph. I, p. 661. Sed quam ipse ille vir doctissimus proposuit interpretationem: nec ullus locus me sibi conscium esse scit, i. e. cum ipse solus sciat, me conscium arcani expertus non est, ea tam est contorta, ut non multos, qui ipsi adstipulentur, eum putem habiturum. Wunderus desperat hunc locum et se ignorare fatetur, quomodo haec explicanda sint. Quid si levi mutatione facta eum sic constituimus:

κοὐδεὶς ἐφίσταται etc.

